DE
SYPHILIDIS HISTORIA NOTAE QUAEDAM.

DISSERTATIO
INAUGURALIS HISTORICO-MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XIX. M. MARTII A. MDCCCXLIV.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

EUGENIUS MITTMANN
SILESIUS.

OPPONENTIBUS:
O. ROLAND, med. et chir. Dr.
W. HOEVEL, med. et chir. Dr.
F. ADLER, med. et chir. stud.

BEROLINI,
TYPIS NIETACKIANIS.

„Neue Volkskrankheiten entwickeln sich immer nur aus
„handenen Elementen, und sind überhaupt nur in ihrer Zus
„mensetzung und der Steigerung vorhandener Elemente neu.

„Dies gilt selbst von der Lustseuche, die seit 1493 für
„gehalten wurde. Sie entstand aus den längst vorhandenen
„lichen Lustübeln und der im Febr. 1486 hinzugetretenen scor
„tischen Lebensbestimmung der Volksmassen. So lange der S
„but und Petechialtyphus, die Ergebnisse und Beweise dieser
„bensbestimmung, herrschend waren, hat sich die Lustseuche in
„rer vollen Bösartigkeit behauptet. Nach dem Erlöschen di
„Lebensbestimmung, zu Ende des achtzehnten Jahrhunderts ist
„zur Bedeutung der ursprünglichen, örtlichen Lustübel mehr
„mehr herabgesunken. — Die Syphilis des neunzehnten Jahrh
„derts ist nicht durch ärztliche Behandlung, sondern durch
„allgemeinen Lebensgang herabgestimmt."

Hecker's Aphorism

PARENTIBUS

OPTIMIS, DILECTISSIMIS,

SUMMOPERE COLENDIS

NEC NON

Dr. CAR. FRID. ADLER,

GYMNASII SORAVIENSIS RECTORI,

[C]OGNATO CARISSIMO SUMMEQUE DE SE MERITO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTO

Nihil est in rerum natura stabile et perpetuum, omnia omni tempore mutantur. Quidquid est sive nascitur, aut in meliorem aut in deteriorem conditionem mutatur. Omnia fiunt, nunquam res ulla in statu manet suo.

Haec lex naturae, si aut singula quaeque corpora organica aut eorum familias generaque, imprimis vero si singulos morbos eorumque familias animo perlustraveris, tibi probabitur non ignoranti, certos quosdam morbos nobis ab antiquis medicis descriptos aut omnino interiisse, aut tantam in tanto temporis intervallo subiisse mutationem, ut eorum symptomatologia priori nobis a medicis antiquis traditae vix similis sit.

In eadem conditione etiam syphilis, de qua perpauca scripturi sumus, versatur, ut etiamnunc magna inter medicos sit controversia, num novus is morbus habendus sit nec ne.

Nullo modo tibi succedet, justius ac penitius in hujus morbi historiam penetrare, nisi animo pensitaveris, quantam aliquis morbus in longo temporis intervallo subire possit mutationem.

De disquisitionibus quidem circa Syphilidis originem ortumque tam medici quam historici nunquam discesserunt, ex quo is morbus, qui hominibus antea plane ignotus fuisse videretur, subito in fine saeculi quindecimi toti fere generi

humano periculum et interitum minitans apparuit. Hoc autem tempore medici plurimi, in Galeni verba jurantes, nec quidquam novi, quin ab illo medico sane illustrissimo exhibitum esset, proferri patientes, plane ignorabant, quomodo tantae pesti occurri posset, nedum in ejus originem et ortum diligentius inquisivissent. Itaque, etiamsi in nonnullorum istius aetatis medicorum scriptis conjecturas quasdam de morbi natura et antiquitate legere liceat, plurimi tamen de morbi origine et antiquitate aut omnino nihil referunt, aut aniles hac de re fabulas enarrant, quarum nonnullas jam relaturi sumus.

Sed antequam ad ea ipsa demonstranda aggrediamur quo melius intelligatur, quae totius Europae conditio, quae regum et populorum voluntates studiaque fuerint, ac quomodo factum sit, ut hic morbus sane atrocissimus tam subito toti fere generi humano vitae periculum vel mortem minitatus sit — paucis explicandum censemus, quo tempore et quibus conditionibus scriptores ejus temporis hunc morbum tam atrocem se praebuisse narraverint, et quo pacto cognomina ei indita de ejusdem origine testimonia faciant.

Carolus octavus, Francorum rex, regnum Neapolitanum, quod hereditario sibi jure vindicabat, recuperaturus, bellum gessit in Italia anno MCCCCLXXXIV, atque praelio contra Italos Hispanosque foedere junctos commisso superior discessit. His in bellis Franco-Galli, quos quidem auctores ejus aetatis maxime dissolutos et libidinosos fuisse dicunt, sine dubio turpissimis imbuti sunt cupiditatibus, quam ob rem mox ingenti luis venereae cruciabantur ira. Itaque Franco-Galli morbum vocabant Neapolitanum, Neapolitani vero Gallicum. Caetera cognomina, quae haec lues praeterea accepit, fere nihil ad morbi originem definiendam et in clariore luce collocandam adferunt. Appellabatur enim hic mor-

bus praeter ea, quae jam allata sunt, pudendagra, mentulagra etc.; morbus sanctus, scilicet quoniam monachi Syphilide maxime laborabant; porro de hominibus sanctis, quorum auxilia ab iis, qui Syphilide cruciabantur, implorari solebant, haec lues etiam morbus Sancti Maevi, Sti Jobi, Sti Rochi etc. vocata. — Quod Syphilidis nomen attinet, alii id a vocibus Graecis »σὺν et φιλία« (cum amore) deduxere, alii a »σῦς et φιλία« (amor porcinus) etc. — Hieronymus Fracastorius in illis jucundis et compositis carminibus, quibus nomen »Syphilidis« inscriptum, libro tertio Syphilum pastorem, quod in solem almum illicitis invectus esset verbis, a deo irato hoc morbo affectum esse fingit:

— »A primo traxit cognomina morbus
Syphilidemque ab eo labem dixere coloni.« (1)

Jam si ad ipsam de Sypilidis origine disquisitionem transeamus, primum adnotandum videtur, omnes hac de re divulgatas opiniones in eo convenire, Syphilidem aut morbum novum extremo saeculo quindecimo natum, aut ex America per Columbi navigationes nobis translatum esse, aut antehac Maranos cruciasse, aut in antiquissimis temporibus hominibus non alienum fuisse.

Primam opinionem, Syphilidem esse morbum novissimum, qui primum in fine saeculi quindecimi exstiterit, multi iique magnam partem antiqui scriptores profitentur. — Ne in exponendis illis ineptis astrologorum opinationibus tempus perdamus, qui hunc morbum tunc atrocissimum e variis constellationibus malignis originem duxisse putarint, ut omnia deni-

---

(1) Hieronymi Fracastorii Syphilidis (poematis) libri tres etc. in ejus op. omn. Lugduni MDXCI. pag. 654.

que sidera ad hanc luem provocandam aeque contulerint – alias quasdam sane haud aequiores sententias explicemus.

Sic J. Bapt. v. Helmont, vir maximi ingenii e summae doctrinae luem in Italia a nefando hominis congress cum jumento scabido ortum duxisse affirmat; sic alii, ut Pa racelsus, a coitu hominum ex variis malis, maxime vero lepra, de qua deinde nobis iterum verba facienda, laborantium Huc accedunt istae narratiunculae Leonardi Fioravan et Andreae Caesalpini, quorum alter luem ab human carne in escam apparata, alter a vinis humano sanguine in fectis deducit.

In eundem modum etiam plures hac de re sententiae a latae, quae non plus ad rem ipsam valent, quod aut omnin ineptae et absurdae sunt, aut ab hominibus superstitios commentae, aut credulo ac mendaci animo prolatae. — Atqui quasdam hujusmodi narratiunculas supra attulimus, a vero non propterea, quod multum in hac re illustranda va leant, sed quod juvat, tanta philosophorum deliramenta anim pertractasse, ut verum nobis videatur illud Tullianum »nih tam absurde dici posse, quod non dictum sit ab aliquo ph losophorum.«

Majoris nobis momenti est altera opinio Astruci, Frein dii, (1) Girtanneri aliorumque, qui contendunt, luem vene ram ex America per Columbi navigationes in Hispaniam e inde in illis bellis Italicis, de quibus supra diximus, ad Franco Gallos Italosque delatam esse.

Astruc in libro illo classico »de morbis Venereis (2)« in

---

(1) J. Freind M. D. opera omnia medica. Parisiis MDCCXXXV pag. 317 sqq.

(2) De morbis Veneris libri novem etc. auctore J. Astruc Editio altera. Lutetiae Parisiorum MDCCXL.

genti eruditione et doctrina magnaque diligentia, neque vero animo magnis et multis opinionibus praejudicatis non jugulato probare studet, Hispanos ab Indianorum uxoribus esse infectos. Morbum ipsum in illis insularum incolis hoc quidem modo esse exortum, ut Indianos cupiditatibus immoderatis lacessitos non puduisset, rem habere cum uxoribus impudicissimis, quibus menses in hisce regionibus calidissimis fluerent acerrimi et quasi virulenti. Qui hac re in genitalibus prosiluissent morbi, eos permagna illius regionis aestuositate atque vaga et promiscua Venere tam graves redditos esse, ut syphilitici fierent. —

Eadem de re Girtanner (1), solo Am. Vespuccio (2) autore, uxores Indianorum, conjuges ad coitum illecturas, philtris excitantibus praebitis, virulenta posuisse insecta in eorum pene, qui morsu venenato intumuisset atque mox ulcere cancrode laborasset.

Operae pretium non est, Astruci vel Girtanneri de Syphilidis genesi opinionem refutare, cum sufficiat, si demonstraverimus, Syphilidem nullo modo ex America delatam esse.

Neque vero, luem veneream in illis insulis occidentalibus tum temporis ab Hispanis esse repertam, negare volumus, cum eodem pacto in illis regionibus inveniri potuerit, quo alibi homines cruciarit, atque cum nihil aliud nostrum sit nisi probare, luem Veneream nullo modo nobis primum ex America delatam esse. Examinanda igitur sunt Astruci et Girtanneri opinionis allatae documenta.

---

(1) Abhandlung über die vener. Krankh. von Dr. C. Girtanner. 5. Aufl. Göttingen 1797 p. 52 ff.

(2) Aphrodisiacus sive de lue Venerea etc. Collegit. etc. Dr. C. G. Gruner. Jenae. MDCCLXXXXIV. pag. 116 117.

Uterque hac de re auctores habet multos, cum Fallopia Lopez de Gomarra, Diaz de Isla etc., tum Gons. Hernandez ab Oviedo, quos omnes Henslerus doctissimus (1) aut mendacia exhibuisse testimonia, aut a Ferdinando ab Oviedo accepta nulla habita retulisse ratione satis aperte demonstravit. Jam vero Ferdinando ab Oviedo hac in re nullam habendam esse fidem, quantacunque ejus essent de illius temporis historia describenda merita, qui, quae ex puerilibus annis memoria teneret, triginta annis post litteris mandasset, qui eam ob causam in luis venereae historia conscribenda contradictionibus sese obstringeret et erratis chronologicis, qui Hispanis favens, Indianis omnia scelera cum in omni re, tum in hujus morbi origine definienda imputaret. — Hisce rebus motus jam H. Fracastorius, Ferdinando ab Oviedo quidem amicissimus, annis XI—XXII post, de Syphilidis origine occidentali dubitare videtur (2), cum diceret: »Arbitrati sunt aliqui contagionem hanc ex novo illo mundo delatam ad nos fuisse, quem Hispanae navigationes adinvenere, cujus signum id afferunt, quod tum et morbus hic apud nos primum apparuit, quum et navigatio illa facta fuit et commercia habita illius gentis. — Sed profecto impossibile est, tam parvo tempore contagionem, quae per se segnis est, nec concipitur facile, tantum terrarum peragrasse ab una classe ad Hispanos primum delatam etc.« Praeterea multos habemus ejus temporis scriptores fide sane dignissimos, qui de origine occidentali aut omnino nihil referant, aut eam argumentis sagacissimis

---

(1) Dr. P. G. Henslers Geschichte der Lustseuche. I. Bd. Altona 1783 p. 112 ff. Desselben, über d. westind. Ursprung d. Lustseuche. Hamburg 1789 p. 18 ff. 41 ff. 56 ff.

(2) H. Fracastor. de morb. contag. (in ejus opp.) cap. XII. pag. 181.

negent. Ut e permultis perpaucos afferamus, verba facienda sunt de Franc. Delicado, Columbo coaetaneo (1), qui quosdam nobiles Hispanos lue Venerea infectos in Indiam occidentalem, ut ibi Guajaci medicina in integrum restituerentur, navigasse tradit. — De Syphilidis origine ex illis insulis deducenda non modo nulla facit verba, sed nihil omnino hac de re compertum habuisse videtur. Porro Petr. Martyr ab Anghiera, qui circa annum MCCCCLXXXXII magno penes regem Hispanicum fungens magistratu, amicos per epistolas de omnibus, quae in aula regia gererentur, certiores facere solebat, de Columbi adventu permulta quidem facit verba et de magno in ejus honorem facto apparatu: — at vero neque in illis epistolis neque deinde in scriptis »de rebus Oceanicis« luis venereae per Columbi navigationes in Hispaniam translatae mentionem facit, id quod sine dubio, si quidem ita sese habuisset, retulisset et majore sane fide, quam Oviedo, quod, quae ille hac de re incomposita ex puerilium annorum memoria referret, maxima cum diligentia literis mandavit. — Item Columbus ipse et ejus filius hac de re sane gravissima omnino nihil referunt. — Caeterum, quae omnia historicorum et medicorum veterum opera de origine Americana testentur, viginti vel triginta annis post Syphilidis invasionem scripta sunt, dum omnes scriptores aequales magnam partem Hispanici ea de re nihil sciant. Jam vero si hic morbus atrocissimus per Columbi navigationes in Europam translatus esset, unus saltem ex permultis scriptoribus coaetaneis hac de re mentionem fecisset.

Praeterea, si prompta habemus scriptorum medicorum et historicorum testimonia, quae luem jam antea apparuisse

---

(1) Astruc l. c. p. 641 u. 642.

confirment, tum quidem, Syphilidis originem ex India occidentali repetendam putare, censeo neminem.

Ne tempus perdamus in exponenda quadam epistola Petri Martyris circa annum 1488 ad amicum Syphilide maxime cruciatum scripta (1), ne mentionem faciamus Casp Torellae, hic nullis nisi Baptistae Fulgosi, Genuensium duce, testimoniis utamur, qui in scriptis de dictis factisque memorabilibus »biennio, ait, antequam Carolus veniret nova aegritudo inter mortales detecta, cui nec nomen, nec remedia medici ex veterum auctorum disciplina inveniebant etc.« Biennio antequam Carolus veniret, id est c. annum 1492, itaque ante Columbi reditum a prima navigatione.

Quae cum ita sese habeant, nullo modo hanc luem prim ex America in Europam irrepsisse censere possumus.

Venio nunc ad tertium illud »Syphilidem longe ant Columbi navigationes inter Maranos fuisse endemiam et a iis ex Hispania in reliquam Europam translatam.« — Hujus sententiae auctor exstat doctissimus C. J. Gruner, Jenensis qui tot ac tanta errata imprimis chronologica in Astruc Girtanneri aliorumque sententia non ignorans librum edidit (2), quo Maranos morbi Gallici esse auctores contendit Quae sententia, ut intelligamus, quatenus vera aut falsa sit necesse videtur, pauca nos altius repetere.

Marani, i. e. Iudaei Hispanici Ferdinandi Catholici regis Hispanorum, atque quaesitorum fidei Christianae edictis atrocissimis minisque pressi, religione quadam simulat

---

(1) Cf. Hensleri Excerpta pag. 94 in dessen Geschichte der Lustseuche etc.

(2) De morbo Gallico etc. Accedunt morbi Gallici origine Maranicae. Collegit, edidit etc. Dr. Christ. Gottfr. Gruner Jenae 1793.

diis penatibusque patriis exturbati, in totam fere Europam disjecti sunt, ut omni malorum genere et summa calamitate urgerentur. — Quid igitur mirum, si scriptores ejus temporis atque in iis maximam partem Italici (quod in Italiam plurimi Marani transgressi) Maranos morbis vitae infestissimis ac peste pessima decimatos fuisse narrent? — Atqui, etiamsi iidem scriptores, hos morbos ingenti pustularum vi ac copia fuisse insignes, iisque magnum et periculosum contagium, quod coitu facile et saepissime receptum esset, inhaesisse referant: — ea quidem symptomata, Syphilidi fuisse utique similes hos morbos, at vero neutiquam Maranos ipsa lue Venerea fuisse vexatos, demonstrant, cum eadem symptomata aliis quoque morbis, exempli gratia quibusdam morbis typhosis, sint propria.

Quodsi tota haec a Grunero in medium prolata sententia paucis veterum scriptorum locis nitatur, quos ille aut perperam aut licentius interpretatus, nullo modo Maranos Syphilidis auctores, sed modo eos impuris morbis fuisse vexatos demonstret; si eadem sententia censenda sit non in medium prolata, nisi ut illam de origine Americana ab Astruc, Girtanner etc. confirmatam opinionem refutaret, neve mori virorum doctorum deesset, theoriam quandam de Syphilidis genesi proposuisse: — tum certe opus non est, plura verba facere in refellenda illa origine Maranica.

Quod Gruner morbum Gallicum inter Maranos ita esse exortum contendit, ut quod Judaeis omnibus proprium esset contagium leprosum, id genio illius temporis epidemio moderatore aliisque elementis morbosis admixtis in contagium syphiliticum esset mutatum: — hoc cum de originibus Maranicis non amplius verba facienda esse statuerimus, una cum eorum sententia refellere possumus, qui Syphilidem nihil esse

nisi degenerationem quandam leprae Orientalis contenderint. Qua de conjectura nimirum testimonium dare videtur quod Syphilis eo tempore morbus fuerit exanthematicus, e quod prima illa Syphilidis invasione lepra Orientalis, qua antea totam fere Europam cruciaret, evanescere visa sit. As vero tantum abest, ut Syphilis e lepra orta nobis videatur ut in Syphilidis natura (ut ita dicam) intima praeter quandam similitudinem non essentialem (sit venia verbo) leprae n pilum quidem inveniamus. — Jam quod Gruner, Paracelsus aliique argumenti loco afferunt, lepram, cum primum Syphilis invaserit, ex Europa recessisse, nihil aliud dicere vult, quam fieri non posse, ut alter morbus eodem et loco et tempore existat quam alter (id quod ne ex omni quidem parte verum esse contenderim, cum in quibusdam regionibus ambo morbi eodem tempore una existere dicantur). Ex eadem vero re intelligere, lepram et Syphilidem eundem esse morbum censeo posse neminem.

Hac fere sunt, quas viris doctissimis de luis venereae genesi et origine opiniones memoratu dignissimas proferre placuit. Jam eae sententiae quam parum sufficiant ad Syphilidis originem eruendam, demonstrare conatis reliquum nobis est, illustrissimi J. C. F. Hecker, viri de medicinae historia illustranda longe meritissimi, hac de re sententiam:

»Syphilidis elementa primaria jam primis temporibus hominibus non aliena fuisse, eaque extremo saeculo quindecimo nullo alio nisi genio ejus temporis epidemio moderatore ac imperatore ad eum malignitatis gradum adducta esse, ut illa lues atrocissima nasceretur.«

quam pro viribus possumus confirmare.

Cum longum sit, gravissimos quosque locos medicorum

veterum et scriptorum in testimonium antiquitatis luis venereae adducere, cumque fere omnes hac de re testimonium dantes loci a viris doctissimis sagacissimisque maxima adhibita ratione critica etiam atque etiam illustrati sint, quae illi viri disquisitionibus studiisque consecuti sint, ea hic breviter afferre sufficiat.

Nullo modo dubitandum videtur, quin Graeci et Romani locales genitalium morbos ex impura Venere oriundos noverint, cum in eorum scriptis factam inveniamus mentionem de gonorrhoea, de ulcere syphilitico in genitalium locis maxime diversis exporrecto (quod propter indolem phagedaenicam cancer vocatum), de bubonibus, quos Galenus ex ulceribus saepissime oriri dicat etc. (1).

Jam videamus, num eo fere tempore, quo Syphilis potissimum a medicis observata est, in eorum scriptis notas sive potius praesagia quaedam invenire possimus, quibus illi morbum nullo modo novum esse prodant.

Itaque mentionem faciamus Nicolai Leoniceni, viri ingenti doctrina illustrissimi, qui loquitur (2) »ubi considero, »eadem natura praeditos homines, sub eodem caelo natos, sub »eisdem sideribus educatos, eisdem etiam semper fuisse mor»bis obnoxios cogor existimare; neque mihi potest in captum »mentis pervenire, natam hanc repente labem nostram ita in»fecisse aetatem, ut nullam superiorem« etc.

In eundem finem multos etiam ad testimonium vocare possimus, sed ne multus sim, nullius nisi Hieronymi Fra-

---

(1) Cf. de sanitate tuenda lib. VI. c. 14.

(2) Aphrodiciacus s. de lue Venerea etc. ab Aloysio Luisino etc. Editio altera. Lugduni Batavorum MDCCXXVIII. pag. 17. Hensler, Geschichte der Lustseuche pag. 3. 4.

castorii testimonium afferamus, de quo deinde nobis iterum disserendum est.

Qui in libro illo de morbis contagiosis scripto sic fere locutus est (1) »hic idem morbus interibit et exstinguetur, »mox etiam et nepotibus nostris rursus videndus renascetur, »quemadmodum et praeteritis aetatibus visum a majoribus »nostris fuisse credendum est, de quo non pauca indicia »etiamnum sunt.« Quam hic medicus illustrissimus sententiam tulerit de causis, cur Syphilis ejus temporis tam maligna fuerit, hoc deinceps nobis demonstrandum est.

Ejusmodi scriptorum ejusdem aetatis sententias etiam plures afferre possimus; sed sufficiant eae, quas jam attulimus, cum satis demonstrent, fuisse illo tempore medicos, qui opinionibus praejudicatis non ducerentur, ideoque de sententiis, quae hac in re tum medicis placerent, valde dubitarent vel etiam Syphilidem morbum esse novum omnino negarent.

Jam si huc accedant quaedam hac de re gravissimum proferentes testimonium tabulae historicae, tum profecto dubitabit nemo, quin Syphilis nullo modo sit morbus novus. Sunt hae quidem leges olim sancitae in eos, qui lue venerea premerentur.

Lata est lex quaedam anno MCLXII de disciplina lupanarium Londinensium, quae episcopi Winchesterensis curae et custodiae mandatae erant: »ne leno mulierem meritoriam recipiat, quae scortatione foeda facta sit.« Majoris etiam nobis momenti est lex quaedam a Johanna prima, utriusque Siciliae regina et provinciae comite, de disciplina lupana-

(1) Hieron. Fracast. opera. De morb. contag. lib. II. cap. XII. pag. 182.

ris publici Avenionensis anno MCCCXLVII sancita, quae paragrapho quarta his fere verbis scripta est: (1)

Lingua provinciali scripta:
»La Reino vol que toudés »lous samdés la Baylouno et un »Barbier deputad das Con- »souls visitoun todos las fillios »debauchados, que seran au »Bourdeau; Et si sen trobo »qualcuno qu'abia mal vengut »de paillardiso, que talos fil- »lios sian separados et lougea- »dos à part, afin que non las »counougoun, per evita lou »mal que la jouinesso pour- »rié prenre.

Eadem latine reddita:
Jubet Regina Sabbato quolibet a Bayliva una cum barbitonsore a consulibus praeposito mulieres meritorias singulas lustrari, quotcumque in lupanari prostant; et si qua scortatione aegritudinem ullam contraxerit, a ceteris seponi, ut seorsum habitet, ne sui copiam facere possit, ut morbi praecaveantur, qui a juvenibus possent concipi.

Hisce quidem legibus natura horum morborum eorumque symptomata descripta non sunt, sed in hujusmodi legibus tale quid indagare nefas. — Id vero constat, morbos eos maxime fuisse periculosos, cum reges et magistratus tanto studio niterentur, ut hos coercerent. Morbos levissimos, excoriationes nimirum et leves phlogoses praeputii, quos Astruc, Freind aliique velint, neutiquam tot ac tantis mulctis coërcere oportere ait Hensler (2).

Haec omnia satis aperte monstrare videntur, prima Syphilidis elementa post genus hominum natum ubique fuisse,

(1) Astruc l. c. lib. I. cap. VIII. pag. 59.
(2) Hensler, Gesch. d. Lusts. etc. pag. 322.

huncque morbum extremo saeculo quindecimo non alia de causa novum visum esse, nisi quod antehac nunquam tam horribilis et periculosus fuerit. Jam vero nobis inquirendum videtur, quibus de causis hic morbus tum tantam ferocitatem induerit.

Si ad hanc quaestionem nullo adhibito argumento respondere nobis placeret, nihil nisi Ill. Hecker hac de re sententia in medium ferenda esset. Sin certis argumentis, qua ratione id factum sit, demonstrandum est, medicum etiam experientissimum et doctissimum omnibus viribus in tentata niti oportet. Tanto magis igitur mihi indulgeas, lector benevole, si res gravissimas describere ac confirmare conatus tantis rebus non par sim. Quando vero in magnis voluisse satis est: nullo modo timeo, ne superbae me rem gravissimam demonstrare conatum confidentiae coarguas.

Antequam autem rem ipsam aggrediamur, qui fuerit genius ejus temporis epidemius, qui ideo morbi epidemii, quae populorum ea aetate studia atque voluntates, brevi adnota debemus.

Paucis annis antequam Syphilidem tam atrociter homines infestare observatum est, circa annum fere MCDLXXXVII constitutionis ejus temporis morbosae quasi testis, scorbutus longe lateque in omnes terras populosque effusus exstitit. — At vero ne scorbutus quidem morbus erat novus, nam sine dubio eum jam antea hominibus non alienum fuisse contendemus, si Ill. Sprengel duce (1) historiam expeditionis pro sacris Christianis a sancto illo Ludovico anno MCCL susceptae aliarumque expeditionum in testimonium adduxerimus.

---

(1) Kurt Sprengel, Versuch einer pragmat. Geschichte der Arzneikunde. Halle 1800. Theil II. pag. 641 ff.

Erat igitur scorbutus hominibus jam notus, sed usque ad id tempus nunquam constitutionis morbosae testis, imo potius a causis quibusdam peculiaribus motus, qua re penes eum usque ad id tempus nunquam imperium in caeteros morbos fuisse videtur. Circa annum vero MCDLXXXVI quasi rerum omnium mutatione facta, imperium in caeteros morbos captum usque ad saeculum decimum septimum tenebat — gignebatur constitutio quaedam, quae dicitur venosa.

Scorbutus igitur totis hominum generibus erat proprius et haereditarius. Maximum vero damnum et perniciem afferebat vulgo, qui egestate pressus facillime in hunc morbum incidebat. Jam si inquirendum est, cur haec constitutio venosa eo quidem tempore exstiterit, non ignorare debemus, qualis fuerit in genus humanum vis atmosphaerae, victus atque morum mutatorum.

Scriptores ejus aetatis, quorum nullius nisi Leoniceni (1) mentionem faciamus, tantam fuisse confirmant eo tempore, quo scorbutus et morbus Gallicus coepissent pullulare, imbrium ideoque aquarum exuberantiam, ut stagnantibus et vaporantibus aquis ingens in aërem aestivum venisset intemperies calida atque humida. Hac re omnia alimenta rarefacta, inprimis vero vegetabilia.

Huc accedebant mores ejus temporis intemperati et barbari, qui bellis diuturnis, exercitibus mercede conductis etc. feriores etiam reddebantur.

Omnia haec non defuerunt provocandae morbosae constitutioni venosae. Quae quidem cur non prius imperium nacta sit, cum sine ullo dubio similes rerum conditiones jam ante id tempus obviae fuerint, cur epidemiae scorbuticae pri-

---

(1) Al. Luisin. l. c. p. 36 ff.

orum temporum nusquam homines castigaverint diutius, neque imperio in caeteros morbos potitae sint, hoc adhuc nescimus.

Scorbutus igitur imperium in caeteros morbos nactus, mox cum permultis morbis chronicis et acutis combinatus, in omnibus fere hominibus praedispositionem quandam movebat, qua facillime in morbos dyscrasios inciderent. Eodem fere modo, postquam cum Syphilide sese junxit, tantam generis humani pestem incendit, cui in primo ingressu impares pari modo erant aegroti atque medici.

Ecquid vero mirum, cum facile intelligi possit, morbum quendam e Syphilide et scorbuto mixtum atrocissimum esse oportere. Nam cum Syphilis apertum prae se ferat consilium materiam organicam destruendi, scorbutus vero haematopoësin omnino evertat, atque reproductionem materiae organicae Syphilide consumtae et destructae plane labefactet, quantum organismo oriturum sit damnum ex combinatione atque commixtione horum morborum, ignorari non potest.

Binos caeterum morbos, tali combinatione et commixtione facta, hybridam, ut ita dicam, creare et gignere posse, jam dudum a medicis confirmatum est. Itaque eo fere tempore, cum ab Oriente terribilis ista Cholerae Asiaticae epidemia irrueret, atque una ab Occidente quaedam febrium intermittentium epidemia longe lateque effusa gradatim progrederetur, medici sagacissimi et illustrissimi, ne ambo conjunctione quadam facta nothum quendam morbum crearent, timebant, qui vitae ac saluti generis humani duplex afferret periculum. Atque eodem ferme pacto omnes uno eodemque tempore morbos genio epidemio moderatore omnino aliter sese habere quam antea observamus, id quod cum multis rebus, tum curatione cujusvis morbi medica, quam in diversis temporibus pro uno eodemque morbo saepissime plane diversam esse

scimus, in clarissima luce collocatur, cum hac ipsa re totas medendi rationes atque systemata nosologica saepissime funditus corruisse nobis traditum sit. — Qua re jam dudum notum est, genio epidemio putrido seu venoso moderatore omnes in eo convenire morbos, ut malignam putridam quandam prae se ferant indolem atque summam medici in curatione expostulent scientiam atque diligentiam. Quam eandem fere vim genium epidemium venosum tum in Syphilidem habuisse censemus.

Id vero certissimis argumentis, ut omne evanescat dubium, demonstrare non possumus; attamen, si oculos convertamus in imaginem hujus morbi a veteribus medicis delineatam, etiam atque etiam nobis in conspectum venit illa diathesis scorbutica, quam deinde accuratius illustrabimus; pustulas enim et ulcera livida, subrubentia fuisse, ulcera mucore foetido et sanie spurca manasse atque minimo tactu sanguinem effudisse, denique maxime dissoluta fuisse, nobis traditum est. Huc accedit, quod experientia edocti cognitum habemus, Syphilidis cum scorbuto conjunctione periculosissimas quasque nasci affectiones. Sic enim nostris etiam temporibus in regionibus terrae septentrionalibus, exempli gratia in quibusdam Russiae partibus, Syphilidem cum scorbuto conjunctam eadem malignitate, quam a majoribus accepimus, persaepe cum magno medicorum horrore apparere scimus; sic in recentissimis illis bellis contra Franco-Gallos vis constitutionis venosae, quae tum typhum petechialem adduxit, in Syphilidem adhibita apparuit. Pari deniqne modo certi quidam morbi, certis cognominibus nuper insigniti, intuendi sunt, exempli gratia morbus Scherlievo (1) etc., cujus — Paracelsianis ut

---

(1) Cf. Dr. Jennicker, Geschichtlich-administrativer Haupt-

utamur verbis — tinctura scorbutica vel ex iis descriptionibus, quae plane aliud quoddam elementum in eo demonstrare velint, agnoscatur. Ideoque fieri potest, ut posteris temporibus (nisi arrogantior videor, qui statu praesenti nondum satis cognito verba velim facere de futuris), in quibus quibusdam de causis putrida illa ac venosa dispositio imperium capessiverit, denuo Syphilidi ita admisceatur, ut rursus terribilis ista generis humani ruina atque pestis incendatur, quam deus averruncet.

Qua de vi constitutionis putridae in Syphilidem jam Hieron. Fracastorius, de quo supra jam saepius verba facta sunt, conjecturam quandam sive ut ita dicam praesagium animo volvisse videtur, cum scribat: (1) »causas morbi »Gallici ac principia oportet ex iis esse, quae communia sint »non solum multis mortalium, sed et regionibus multis, quod »certe in nullam aliam causam referri potest, quam in aëris »constitutionem« etc. Jam etiamsi Galeni theoriam de qualitatibus elementariis, quae dicuntur, accurate et diligenter secutus deinde ratiocinetur, tamen acu rem tetigit verbis (2) morbus putridus est »talia igitur principia habuisse infectio»nem hanc putandum est, atque in aëre sordidam quandam obrepsisse putrefactionem«.

Quae cum omnia etiam atque etiam animo reputemus, facile adducimur, ut credamus, Syphilidem extremo saeculo quindecimo atque proximis annis tantam ma-

---

bericht über die Skerlievo-Heilanstalt im Fiumaner Kreise etc. in „Mediz. Jahrbücher der K. K. Oesterreichischen Staaten. Bd. 5 St. 3. 4. Wien 1819.

(1) Hieron. Fracastorii de morb. contag. l. c. pag. 183.

(2) Ibid. p. 184.

lignitatem non nisi ab illa diathesi scorbutica sumpsisse.

Jam postquam nullo quidem modo argumentis, quod erat demonstrandum, demonstravimus, imo id, quantum in nobis situm est, modo adumbravimus, reliquum est, ut pauca verba faciamus de Syphilidis ejus temporis indole atque decursu.

Cum primum contagium syphiliticum esset illatum, animos aegrótantium tristitia quaedam detinebat, corpora lassitudo. Paucis praeteritis diebus ulcuscula quaedam circa pudenda oriebantur, quae et insolita erant contumacia et victa una parte alia regerminabant. Post haec magna febri mota crustosae pustulae longe lateque per cutem erumpebant, mox vero augebantur ad magnitudinem ingentem. Color pustulis erat ex nigro virescens, lividus — id quod diathesin significare videtur scorbuticam — interdum vero exalbidae erant pustulae sive subrubentes, ut ipsas adspectu magis aegros quam dolore cuciasse, Hutten confirmaret (1). Mox ulcera facta aspera exporrecta a quibus spurcus proflueret humor, atque tantus exhalaret foetor, ut cujus nares contigisset odor ille infici mox crederetur. Ulcerationes deinde exedebant more eorum ulcerum, quae phagedaenica appellantur, atque interdum non solum cutem, musculos etc. corrodebant, sed ipsa ossa etiam inficiebant. Quibus haec ulcera in facie sive collo vigebant, his non raro nares, oculi, labia, fauces, tonsillae etc. consumpta. Huc accedebant in omni corporis regione deformes gummositates, quae exulceratae sanie redundare solebant foetida. Ad haec autem ingentes dolores, qui praecipue noctu affligebant aegrotos. Interea languebant mem-

(1) Ulrichi de Hutten equit. de Guajaci medicina et morbo Gallico liber unus. Moguntiae MDXIX. cap. I.

bra omnia, macies corpus detinebat, nullum aderat cibi desiderium, nullus somnus, sed moeror et iracundia et amor decubitus. — Omnes secretiones et excretiones retentae seu tenues, quasi foetida illa ulcerum sanies in eorum locum subvenisset. Denique febricula quaedam hectica mota, mox obiit aegrotus.

Eandem fere quam Fracastorius, quem in hisce affectionibus morbosis describendis hucusque maxime secuti sumus (2), Ulricus de Hutten, eques Germanus et ipse hac lue maxime afflictus, morbi imaginem exhibuit, ut hic satis sit historiam morbi, quo Hutten ipse laboravit, apponere, cum ex illa luem quam dicimus universalem intelligere possimus (3).

»Primum sinistro pede eram inutilis jam haerente ibi octo plus annis morbo et in media quidem tibia, qua parte tenuissima cruri obducitur caro, ulcera erant cum inflatione carnis inflammata, putrescentia et hujusmodi, et uno sanescente erumperet statim aliud. Erant enim complura sparsim, nec ope medicorum fieri poterat in unum omnia ut redigerentur. Supra ea tuber erat induratum et in eo suppungens citra intermissionem dolor immensus fuit et supra dextrum proxime talum collectio et ipsa in ossis modum dura. Hanc mihi ferro hanc igni et causticis omnibus adaperire cum molirentur medici, nihil profecerunt. Illa autem modo vehementer intumescebat summo cum dolore, modo residebat mitior. Quoties pedi insisterem, dolore afficiebar impatibiliter. — Deinde superius coxa et genus penitus confriguerant, attenuato ibi ad summam usque macritudinem femore, ut praeter cutem, vix

(1) Hier. Fracast. l. c. de morb. contag. lib. II. cap. XI pag. 177.

(2) Ul. de Hutten l. c. cap. XXV.

esse videretur, quo se os contegeret. Dolebat item laevus humerus; debilitata extrema scapula occalluerat et in medio musculo tuber ovi magnitudine. Et in dextro latere ulcus erat sine dolore quidem, sed foedum quoddam pus effervens. Supraque ipsum aliud iterum tuber, quasi supernato costae quodam ibi osse etc.« Haec morbi descriptio satis aperte demonstrat, Syphilidem istius aetatis in morborum atrocissimorum, qui post hominum memoriam in genus humanum invaserint, numero esse, ut verum habeamus illud ab Erasmo Roterodamo dictum, hanc luem, quidquid in aliis sit horrendum, una secum deferre foeditatem, cruciatum, contagium, vitae periculum, curationem difficillimam pariter ac foedissimam etc.

Jam si quae diximus omnia in unam morbi imaginem composuerimus, Syphilidem tum eo fuisse insignem intelligemus, quod more eorum morborum ingrederetur, qui acuta nominantur exanthemata. Neque ultra igitur mirum nobis videri potest ingens illud contagium morbi longe lateque diffusi, cum propter morbi naturam exanthematicam ea, quam morbus gignat, materia morbosa, quae una eademque contagium syphiliticum contineat, facta sit externa atque hoc quidem modo ad communicationem propensior. Quid igitur mirum, quod balnea, quibus permulti homines una uti solerent, mox abolita sint, cum timerent, ne per aquam, qua corpora syphilitica abluta essent, contagium reciperent.

Facere non possum, ut hic narratiunculam quandam nobis a Thoma Jordano, Moraviae provinciae archiatro, relatam silentio transeam, cum nobis exemplum praebeat, quo id contagii periculum satis aperte perspicere liceat. Narrat ille, Brunnae, quae primaria est urbs Moraviae, luem miserandam (i. e. Syphilidem) esse coortam anno MDLXXVII,

quae primo paucos jugulasset, post vero duos sive tres menses ad octoginta oppidanorum corripuiset. Hoc omne virus ab uno publico balneo, quo cives, postquam sordida corpora abluissent, phlebotomo seu cucurbitulis cruentis uti soliti essent, emanasse, ut, quicunque balneum ingressi essent atque ibi phlebotomo etc. scilicet venenato percussi, ii illico a lue corriperentur. —

Ejusmodi insuper multa exstant exempla a diversissimis autoribus relata. Sed sufficiat illud, quod jam retulimus. —

Circa annum MDXL morbus valde mutatus est. Eo fere tempore gonorrhoea syphilitica magnum omnium morbi symptomatum decrementum secum attulit. Pustulae, gummata, dolores etc. in dies temperari visa sunt. Morbus ab hoc tempore vix amplius acutus erat imo chronicus factus est. Exanthemata inprimis pustulae, rarefacta in dies evanescere videbantur; contagium illud antea periculosissimum acque imminutum esse ac lues venerea a cute recederet, facile intelligitur. — Atrocium illarum morbi devastationum jacturae oculorum, genarum, narium etc. pudendorum omnium consumptorum raro mentionem factam invenimus. Cutis igitur a morbo admodum liberata, atque membranarum mucosarum systema invicem locus affectus factus est, ut morborum syphiliticorum primariorum ab eo tempore forma fuerit aut ulceris syphilitici primarii in membranis mucosis, aut gonorrhoeae. Itaque morbus Gallicus in dies mitescens eidem, quam nos observamus, Syphilidi similior fieri videtur.

Jam si varias Syphilidis formas, invasionem ejus nullo modo antea opinatam atque ingens periculum, quod toti generi humano minitaretur, cognitum habeamus, facile intelligemus, curationem et medelam hujus morbi semper fuisse me-

dicis difficillimam, atque hunc morbum natum fere esse, ut theorias atque systemata medicorum, quae usque ad id tempus firmissima a prope divina crederentur, funditus erueret.

Itaque nos nugas agere non censemus, si in fine hujus dissertatiunculae pauca verba de diversis medendi rationibus, quibus medici huic morbo occurrere conarentur, faciamus.

Cum primum ingens istud morbi periculum adveniret, medici morbi novitate et ferocia stupefacti, diu ancipites haerebant, quid agerent plane ignorantes. Neque enim injuria eos testatur Jacobus Cataneus (1) a morbi ipsius curatione refugisse, cui se impares esse intelligerent; nam prima, inquit ille, in curandis morbis intentio, ut Galenus vult, ab essentia morbi sumenda est. — Qualis vero fuerit hujus morbi essentia, haec quaestio erat nondum explorata, quod Galeno, medicorum fere omnium ejus temporis legislatori, placere non potuit, hac de rė aliquid proferre. Malebant igitur medici, nihil fere agere ad hunc morbum curandum. Miseri hoc morbo laborantes, initio ab hominum societate expulsi, tamquam purulentum cadaver, derelictique a medicis habitabant in arvis et silvis. Deinde cum longius progrederetur ferocitas morbi, curationem aggressi sunt medici, quam appellabant methodicam seu rationalem. Memores illius ab Hippocrate (2) dicti:

»τὰ μὴ καθαρὰ τῶν σωμάτων, ὁκόσῳ ἂν θρέψῃς μᾶλλον βλάψεις i. e. impura corpora, quo plus nutrias, eo magis laedas.«

primum diaetam imperabant tenuem, quae medendi ratio sane rationalis atque praeclara; at vero sola nullo modo par

---

(1) cf. Astruc l. c. lib. II, cap. VI. pag. 140.
(2) Hippocrat. Aphor. Sect. II. Aphor. IX.

erat tanto morbo e corpore expellendo. Praeterea venaese ctiones, quam depurantes nominabant, instituebant aut si hac re gravissimis de causis, exempli gratia propter virium debi litatem etc., abstinendum esse censerent, earum vices supple bant hirudinibus seu cucurbitulis cruentis impositis; qua r praesertim his aegrotis, in quibus illa diathesis scorbutica maxime eluceret, damnum vel maximum illatum. — Prima rum viarum sordes clysteribus laxativis seu remediis catharti cis emollientibus ex decocto tamarindorum, catholicone, mann nua, syrupo rosarum, de cichoreo composito etc. deducebant. Pravos corrigebant humores potionibus alterantibus aegrotis praebitis atque pro varia humorum depravatione valde variis ut sero lactis cum variis herbis praeparato, decoctis e cicho reo silvestri, e radice apii, petroselini, e foliis fumariae, summitatibus lupulorum etc. — Una aegrotis imperabant, u balneis uterentur aut sola aqua tepida, aut cui decoctione remediorum variorum emollientium essent ingestae.

Jam postquam medici hac medendi ratione pravos humo res, ut dicere solebant, semel expurgaverunt et diluerunt, iden tidem eos purgabant catharticis drasticis praebitis, ut Senna Aloë, diacatholicone, confectione Hamec etc. Pustulae, s quae in cute regerminarent, calidae, cum aegrotus e balneo veniret, unguentis excitantibus atque interdum exsiccantibus inunctae, ut unguento e mastyche, e Myrrha, e sulphure, lithargyro etc. Dolorum vero aegrotos valde degravantium id erat remedium, ut loci affecti saepius calidi remediis oleo sis, medulla cervi, vulpis, adipe humana, verum etiam deco cto hyoscyami inungerentur. — In magna morbi pertinacia medici stuffis valde confidere solebant. Neque mirum nobis id videri potest, cum eo quidem tempore omnibus fere mor bis acutis mederi medici ratione solerent diaphoretica.

Neque deerat superstitio, quae imbecillitatem medicorum
)ariter ac pharmacopolarum circumforaneorum eo induceret,
ıt varium viperarum usum aegrotis suaderent. Doloribus
steocopis vehementissimis occurrere conabantur medici can-
erio actuali, i. e. ferro candenti, quo allato morbus non modo
on mitigari, verum etiam augeri solebat.

Haec erat, quae prima medicis ratio medendi placuit.
)ua in exhibenda multis sane utebantur remediis, iisque ma-
nam partem non ita invalidis atque futilibus, cum sine dubio
ıorbi ferociam mitigare possent; sed eos universo morbo cu-
ındo pares esse potuisse, contendat nemo; imo vero opinan-
um censemus, multa remedia non modo nihil valuisse, verum
tiam morbi vim et ferociam adauxisse.

Methodo medendi rationali exposita, verba nobis facienda
dentur de ratione specifica.

Visum enim est nonnullis medicis, cum expertam habe-
ent hydrargyri vim in herpete, impetigine aliisque cutis mor-
s curandis, mercurio atque in specie unguentis mercurialibus
iam in morbo Gallico sanando, qui tum morbus erat exanthe-
aticus, uti. Initio quidem medici hisce unguentis mercuria-
bus cautissime utebantur. Mox vero, postquam empiricorum
rcumforaneorum temeritas, qui animis neutiquam cogitantes,
ıam diversa esset singulorum hominum natura, qualis esset
ıbenda ratio temporis, loci etc., nimiam hydrargyri vim in
ırpus ingererent, omnem modum transiit, eo adductae sunt res
aegrotantes ancipites haererent, num morbi ferocia an empi-
corum improbitate ac temeritate interirent, cum hydrargyro-
s non raro majorem afferret periculum vitae quam ipsa
yphilis.

Atque ne quis nos rem verbis justo magis exaggerasse
ıtet, evolvendus videtur **Ulrici de Hutten**, qui ipse unde-

cies hoc modo unctus est, liber »de Guajaci medicina quo hoc sic fere descriptum invenimus (1).

»Aegrotus vix iterum accepto unguento coepit langu scere mirum in modum. Tanta unguenti vis erat, ut dent deciderent, qui non accurate ori intendissent. Omnibus cer exulcerabantur fauces, lingua et palatum; intumebant gingiva dentes vacillabant, sputum per ora sine intermissione proflu bat, omni protinus foetore olentius. Foetebat omnis cir habitatio atque adeo durum erat hoc curationis genus, perire morbo complures, quam sic levari mallent. Quamqua vix centesimus quisque levabatur, recidivo ut plurimum aeg cum vix paucos ad dies duraret ejus juvamentum. Si qu accideret interim aegro, consilii inopia quid suaderent non h bebant. Nullius neque temporis neque corporum qualitat habita ratione, curabantur aegri. Multos in media curatio interire vidi. Omnino pauci convaluerunt, atque illi hoc p riculo, hac amaritudine, his malis.«

Quae cum ita essent, haud mirum nobis videri potest, Guajacum sive lignum sanctum, quod ex India occident circa annum MDVIII Europae primum innotuisse videtur, i genti cum gaudio exceptum sit.

Lignum sanctum, quod vario medici modo solebant d coquere, aegrotis varia administrandi ratione praebebant. A ger, cui alvus blando laxativo esset ducta, tenui impera diaeta in cubiculo tepido conclusus et lecto detentus, ori i gerebat decocti Guajaci calentis uncias VIII — X. Sudo exinde moto sese dedit per aliquas horas. Deinde post hor tres seu quatuor aegroto paullulum cibi blandi permissun post horas quatuor eadem ratio adhibendi decocti repetit

---

(1) Ul. de Hutten l. c. cap. IV.

Servabatur ea methodus per dies quindecim interpositis interdum, si ita placeret medico pro rerum statu, clysteribus seu laxativis blandis. Post diem trigesimum aegro concedebatur lecto relicto per cubiculum ambulare. Sub finem curationis aegrotus iterum purgatus in aliud conclave migrabat, donec aëri ferendo par esse videretur.

Qua curandi methodo Ulricus de Hutten magnum malorum suorum decrementum expertus, in libro illo, de quo jam saepius locuti sumus, medicos eo tempore, quo librum edidit, i. e. c. annum MDXIX, in administranda hac sanandi ratione non ita male se gessisse tradit.

Jam vero cum lignum sanctum initio ingentis esset pretii, ut inopes eo uti non possent, ejus loco varia ligna Europaea usurpabantur, ut lignum ex ebeno, citro, cupresso, pinu, terebintho, junipero etc. — At vero dubitandum est, ea ligna vicem exhibuisse Guajaci, cum jam Hutten dixerit (1):

»Sed valde metuo, temere hoc promissum a medicis, eos frustra conari, cum quia graviorem esse morbum hunc existimo, quam fame, qui non adhibito medicamento, praesertim altissime, ut plerumque radices ubi fixerit, repelli possit, tum vero quia si hae quas dixi arbores tale quid ipsae possent, tam diu incognitam vim utpote vernacularum nobis futuram haud fuisse.«

Simili ratione ac ligno sancto aliis etiam remediis novis, quae pariter secretiones impellerent, ut radice Chinae, Sarsaparillae, Saponariae, Bardanae, ligno Sassafras etc., aegrotantium pariter atque medentium animi in novas spes erecti.

Mox vero Guajacum et caetera ejus loco ligna adhibita, quae initio magno excepta erant applausu, cum non omnibus Syphilide cruciatis mederi possent, minus commoda esse coe-

perunt, ut medicis placeret ad pristinam illam methodum specificam recurrere.

Denuo inde medici hydrargyrum in usum vocabant variis iisque cautissime habitis rationibus. Duplex is erat usus, et internus et externus.

Quod ad usum externum attinet, adhibebatur mercurius quadruplici forma, linimenti sive unguenti, cerati seu emplastri, suffumigii e cinnabari facti et lavatorii e solutione hydrargyri oxymuriatici corrosivi. — Usus internus duplex erat; praebebatur enim aegrotis aut pulvis rubeus Joannis de Vigo, i. e. hydrargyrum praecipitatum rubrum — permala sane pro usu interno forma — aut famosae illae pilulae Barbarossae, quibus usus fuisse dicitur Chairedinus Barbarossa, rex Algerii et rei maritimae apud Turcas praefectus. Eae pilulae in hunc quidem modum erant compositae:

Rp.
Argent. vivi ℥XXV.
Rhabarb. elect. ℥X.
Diagridii ℥III.
Moschi
Ambrae āā ʒI.
Farinae frumenti ʒII.

»Cum succo limonum fiat massa pilularum, ex qua formentur pilulae magnitudine ciceris et detur una pro vice omni die per horam ante coenam.«

Mox postquam chemicorum studio pharmaciae fines prolati sunt, permultae novae eaeque non raro optimae adhibendi mercurii formae inventae sunt, donec Syphilidis devastationibus, diathesis illa scorbutica sane remota, magnam partem per mercurium finis factus sit. — Nobis vero, cum hic morbus diathesi illa scorbutica remota longe mitior factus sit et terribiles istae deva-

ationes medico rarissime, atque si forte eveniant, tum in
ngulis hominibus sporadice offerantur, nobis, inquam, obser-
re licet, methodum quam vocant Anglicam, quae tenui im-
rata diaeta itidem variis adhibitis remediis omnes secretio-
s augere studeat, id contendere videri, ut methodum speci-
am, i. e. hydrargyri usum in curanda hac lue funditus
llat.

Magna etiamnunc est controversia inter viros in medicina
cellentissimos, cum alii contendant, mercurii usum plane esse
olendum atque nullam methodum adhibendam nisi rationa-
m, i. e. Anglicam; alii vero affirment, hydrargyro non ad-
bito nullam fore aegro in integrum restitutionem, atque si
rte valetudinem quandam paullulo meliorem recuperaverit,
inquam eum recidivo non fore subjectum.

Utra vera sit sententia, medici postero forsan tempore
servationibus atque experimentis reperient. Experiantur
itur medici, penes quos summum est judicium atque pecu-
ure et elatum quoddam ingenium. Quod enim, ut Ulricus
Hutten ait, est aliud medicorum officium, quam quotidie
dagare aliquid et experimento cognoscere atque unicuique
orbo quid medeatur inquirere? —

VITA.

Eugenius Mittmann natus sum Freistadiae, Silesiae infe-
oris urbe, die XXXI mensis Januarii MDCCCXXI patre
anne Godofredo, matre Julia Friderica e gente Zim-
el, quos parentes dilectissimos Deus optimus maximus vivos mihi
lvosque ad haec usque tempora servavit. Confessionem profiteor
angelicam.

Primis literarum elementis in schola urbis patriae imbutus,
uatuordecim annos natus gymnasium Soraviense, quod Ill. Ad-
eri, cognati mihi carissimi, auspiciis etiamnunc floret, per quin-
ue annos frequentavi.

Deinde maturitatis ornatus testimonio anni MDCCCXL tem-
ore paschali Berolinum me contuli, ubi civibus instituti medico-

chirurgici Friderico-Guilelmiani adscriptus, per quadri-nium hisce interfui virorum Ill. et Cel. scholis:

Cel. Beneke de logice atque de psychologia; Cel. Preu de historia; Ill. Link de botanice, de historia naturali, de c ptogamia atque de toxicologia; Ill. Schultz de botanice; I Lichtenstein de zoologia; Ill. Mitscherlich de chem. Praeterea disserentes audivi:

Ill. Hecker de encyclopaedia atque methodologia medi de pathologia generali, de medicinae historia, de Celsi libris; I Schlemm de osteologia, syndesmologia, splanchnologia atque anatomia organorum sensuum; Ill. Müller de anatomia et u versa et organorum sensuum, de physiologia nec non de anaton pathologica; Exp. Reichert de histologia atque de evolutio historia; Cel. Eck de therapia generali et de semiotice; C Mitscherlich de materia medica; Ill. Horn de morbis ps chicis et de morbis syphiliticis; Ill. Casper de arte formul medicas rite concinnandi atque de medicina forensi; Ill. Juen ken de chirurgia speciali; Ill. Schoenlein de pathologia therapia speciali; Cel. Kluge de ossibus fractis et luxatis, chirurgia generali, de arte obstetricia, de akiurgia; Cel. Frori de akiurgia. In exercitationibus practicis duces mihi fuere:

Ill. Mueller una cum Ill. Schlemm in arte cadave rite secandi, Cel. Kluge in arte fascias rite imponendi, Cel. Fr riep in operationibus chirurgicis in corporibus mortuis faciend Exp. Angelstein in operationibus ophthalmicis, Ill. Casper exercitationibus medico-forensibus.

Clinicis interfui scholis chirurgicis et ophthalmiatricis I Dieffenbach et Ill. Juengken, obstetriciis Cel. Klug medicis Cel. Wolff, Ill. Schoenlein, Cel. Truestedt.

Omnibus his viris honoratissimis, optime de me meritis, qu possum maximas ago gratias semperque habebo.

Jam vero tentaminibus, tam philosophico quam medico, atq examine rigoroso coram Gratioso Medicorum Ordine rite superati spero fore, ut dissertatione de Syphilidis origine thesibusque pu blice defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me con ferantur.

THESES.

1. Syphilidem saeculi nostri non curatione medica mitiore factam esse.
2. Febres intermittentes contagiosa fieri posse.
3. Tenotomiam sine orthopaedia nihil valere.
4. Operationem herniarum radicalem, quam vocant, omnino ess rejiciendam.
5. Medico auscultationis experti ad typhum sanandum non ess accedendum.
6. Aetheris formationem nullo alio modo quam per contactum explicandam esse.

NARROW GUTTERS

(1-2 CHARACTERS LOST ON SEVERAL PAGES)